

Et gracili curam solatur arundine Cyclops  
 Te memorans, Galatea, tuo succensus amore?  
 Tum pila, vis animae qua sese erumpit, in altum  
 Tollitur, ac mota trepidans colludit in aura  
 Illa diu, prono nec decidit incita casu,  
 Spiritus excito pariter ni flamine cefset.  
 At mihi non Zephyri venientis sibilus urgens  
 Ille ratem, optandus. fileat nemus omne, neque ullae  
 Aepliis spirent emissae rupibus aurae;  
 Posse dabis tamen hanc nubes evadere in altas  
 Sponte sua, postquam certas prius ordine leges  
 Aeris, ac varios necum heic expenderis usus.

Principio terrae vastos circumfluus aer  
 Ambit, & insequitur tractus, & mollis eamdem  
 Induit in faciem sese: nisi fervida quantum  
 Asperat ardentis phoebi vicinia ventos  
 Illa ciens; quantum Sol ipse, aut proxima sursum  
 Luna trahit, tumidoque juber consurgere dorso.  
 Nec vero usque sibi constans (f) infraque supraque

Aer

(f) Quum sit (per Nevv. in opt. pag. 342.) noster aer a totius atmosphaerae pondere compressus, densitasque ipsius aeris proportionalis vi comprimenti, insertur; eundem aerem 7. millia passus altum a terra rariorem esse quatuor vicibus, quam in superficie; altum 14. milie passus, rariorem esse 16. vicibus; & ita porro, in pro-